

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

Inv. 11284

K. fol. 2 all 104



V I R O  
SPECTATISSIMO ET DOCTISSIMO  
DN. IO. DANIELI ANDRESS  
JVRIS PRACTICO ET CIVI THORVN.  
S P O N S O  
SORORIS AMANTISSIMAE  
REGINAE CONSTANTIAE  
OBSERVANTIAM ET AFFECTVM  
TESTABATUR

IO. PETRVS IAENICHIVS L. L. A. A. STVD.



PONSE, quid est factum? nostros cur tanta lubido  
Incessit facibus depopulare lares?  
Lustrum forte abiit, jamque alter volviturannus,  
Quum nobis natu est major adempta soror.  
Hanc NESSELMANNO propriam nam fata dicarunt,  
Acterna est sobole facta beata parens  
Altera jam sequitur, primae memoranda sorori  
Haud dispar, merito semper amata mihi.  
REGINA haec nituit vernanti flore iuventae,  
Ore quidem superans alba ligustra suo.  
Hanc pudor, et probitas, et honestas virgine digna  
Irradiat, nec non Altitonantis amor.  
Accedit solers animi prudentia, quanta  
Femellam exornat, conciliatque decus.  
~~Ac veluti junctum gemmis magis praeminet aurum.~~  
Gratius & splendet, sicubi gemma micat:  
Sic NOSTRA emicuit, dulces venerata parentes  
Candorem atque metum certo in amore probans.  
Felix illa domus, tali quae germine sese  
laetat, huic merito numina celsa favent.  
Hanc, Spectate Virum, nostris amplexibus audes  
Eripere, et casto jungere velle toro.  
An PATRIS eloquium TIBI non sufficit avaro,  
Olim auditori, quod TIBI sparsit opes?  
Ingenii disperdit opes, fecitque sementem,  
Hoc ambo facer, hoc pulpita docta monent.  
Iamque instar torrentis agis, teque ingetis ipsis  
Aedibus, atque undis proluis omne solum:  
Hoc volo, REGINAM fatis melioribus usus  
Ductas, atque tori iura subire jubes.  
Sed bene fit, quod fata volunt, carique PARENTES  
Rite probant nobis optima fata placent.  
Quam bene fragranti miscentur cinnama nardo,  
Quam bene praedulces temperat uva favos:  
Litora myrtus amat, juguntur vitibus ulmi,  
Hortumque exornant lilia mista rosis:  
Tam bene conveniat VOBIS, quia vivere certum est  
Et servare simul corda ligata fide.  
Candida perpetuo concordia munit aedes,  
Ipse Dei ditet non temeratus amor  
Quod ve exoptavit vox Bibilitana Pudenti,  
Hoc precor, ut VOBIS jugiter eveniat:  
*Diligat illa senem quondam, sed ut illa marito,*  
*Tunc quoque cum fuerit, non videatur anus,*  
Gaudia sic poterunt decerpere longa PARENTES  
Daque perfundet dextera mille bonis.

THORVNII,  
Impressit Joh. Nicolai NOBIL, SENAT. & GYMN, Typographus.



